

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, & de Disciplina tam Ecclesiastica, quam Monastica,
necnon de Morali Christiana noni Ecclesiæ sæculi. 147



HISTO-



HISTORIA

ECCLESIASTICA

VII. & VIII. Ecclesiæ Sæculi,

Variis Colloquiis digesta.

Septimi & octavi Ecclesiæ sæculorum Historiam, quæ magnam dicendi segetem, argumentorum varietatem, multorum eventuum copiam suppeditat, juxta methodum a nobis hætenus observatam sex Colloquiis ita absolvam, ut inde tamen nullum Historia Ecclesiastica patiatum dispendium, nihilque eorum prætermittam, quæ ad plenam & accuratam illius notitiam desiderari possunt. In primo itaque Colloquio commonstrabimus, quo loco essent res Ecclesiæ in sæculis septimo, & octavo sub Imperatoribus, & Principibus Christianis. In altero, exhibebimus continuam seriem Episcoporum, qui in duobus hisce sæculis præcipuas Ecclesiæ Sedes, Romanam scilicet, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam occuparunt. In tertio referemus exordium, progressum, casum, atque interitum Hæresum, quæ in his duobus sæculis Ecclesiam infestarunt. In

Graves. Hist. Tom. III.

A

quar-

quarto agemus de Conciliis, tum Generalibus, tum Nationalibus, quæ five ad proterendas obortas Hæreses, five ad sancendam Ecclesiæ disciplinam variis in locis fuerunt celebrata. In quinto proferemus in medium Viros illustres, qui in duobus istis sæculis doctrina, & pietate in Ecclesia præfulserunt. In postremo dabimus specimen Doctrinæ, Disciplinæ, & Moralis Christianorum, qui sæculis septimo, & octavo vixerunt.



COLLOQUIUM

PRIMUM.

De statu & loco, quo erant res Ecclesiæ sæculis septimo, & octavo sub Imperatoribus, & Principibus Christianis.

M. Eriem jam dedimus in præcedentibus nostris Colloquiis Christianorum Imperatorum, qui sexto Ecclesiæ sæculo summa rerum poriti sunt usque ad *Mauricium* e Cappadocia ortum, qui adoptatus a *Tiberio* socero suo (nupserat enim *Constantinæ* *Tiberii* Imperatoris & *Anastasiæ* filix) habenas Imperii moderari cepit, anno *DLXXXII*. Fuit autem *Mauricius* strenuus Imperator, qui per suos Duces *Philippicum* & *Germanicum* Persas devicit, & cum *Chagano* Avarum Rege, qui *Thraciam*, *Mæsiam*, aliasque Orientalis Imperii regiones ferro flammaque devastabat, sæpius, variisque eventibus pugnavit. Hujus Imperatoris in Sanctis Martyres pietatem commendat *Theophylactus* lib. 6. cap. 1. ubi refert, *Mauricium* Augustum ex Urbe exeuntem, & marina tempestate exceptum, *Heracleam* *Thraciæ* urbem in *Propontide* venisse, *Glyceriæ*que *Virginis* Martyris Templum ingressum maxima pietate illud fuisse veneratum, atque pecuniam ad partes illius Templi illato per *Avaros* incendio vastatas ac prolapsas iterum excitandas exornandasque erogasse. Hæc Sancta Virgo *Glyceria*, ut obiter dicam, martyrium passa est sub *Antonino* Imperatore, ut videre est in Actis illius martyrii ex *MS. Græco* Latine ab *Henschenio* redditis, ejusque solemnitas est apud Orientales veneratio ad diem *XIII*. mensis *Majii*, ut liquet ex variis *Synaxaribus*, & *Menæis* Græcis ab eodem *Henschenio* in Actis Sanctorum *Bollandianis* ad eundem diem citatis. Sed, ut ad *Mauricium* Imperatorem redeamus, de illo idem *Theophylactus* lib. 8. cap. 14. scribit rem sane memorabilem, videlicet in Urbe *Chalcedonensi* ex adverso *Byzantii* sita, esse Templum Sanctæ *Euphemie* Martyris, ubi ejus sacratissimum Corpus asservatur, & die, quo ipsa martyrium obiit, in conspectu omnium loci *Episcopum* spongiis a Corpore mortuo plurimum sanguinis colligere, quod per vascula vitrea ab eodem loci *Episcopo* adventantibus distribuitur. Huic insigni miraculo assensum præstare noluit *Mauricius* Imperator, asseruitque, illud fallacium hominum commentum esse. Quam ob rem Sepulchrum, ut diligentius arcanum exploraret, obsignavit, quod ubi stata die aperuisset, iterum sanguis instar fontis effluxit, tuncque *Mauricius* incredulitatem deposuit, & summa impostorum veneratione Sanctam illam Martyrem prosecutus est. Colitur autem *Euphemia* in Mar-

tyrologio Romano, & in aliis die *XVI*. Septembris in persecutione *Diocletiana* martyrio coronata (a). Hæc de *Mauricii* Imperatoris pietate prodit *Theophylactus*, sed illius vitia non tacens, fatetur, avaritiæ vitium, quo ille laborabat, defectionis occasionem præbuisse militibus, a quibus anno *DCII*. *Phocas* faustis gratulationibus, totoque applaudente populo Imperator salutus vitam *Mauricio* eripuit, postquam, ipsomet adspectante, omnes illius filios per summam crudelitatem jugulari jussisset. *Mauricio* Imperatori annos tantum Imperii viginti tribuunt *Zonaras*, *Cedrenus*, aliique passim Historici, sed annos completos, ut fere fit, tantum numerant. Quo fit, ut probabilior sit sententia illorum, qui asserunt, *Mauricium* annum vice-simum primum Imperii inchoasse. *Mauricius* siquidem die *XIV*. mensis *Augusti* an. *DLXXXII*. *Tiberio* *Constantino* Imperatori successit, & exeunte mense *Novembri* anni *DCII*. trucidatus est, ac subinde imperavit annos viginti, menses tres, dies aliquot.

„(a) Miraculum hoc *S. Euphemie* satis verum habet testem ac dignum, cui fides adhibeatur, *Theophylactus* scilicet (non illum schismaticum, qui *XI*. sec. scribebat) *Simocat*, tam *sec. VII*. scriptorem. Sed & de sanguine ex *S. Euphemie* reliquiis fluente testatur etiam *Evagrius*, qui circa finem *sec. VI*. scribebat. Non est igitur rei tam vetustæ & a gravibus scriptoribus assertæ fides deneganda.

D. Ex qua regione ortus erat *Phocas*, & quot annos imperavit?

M. *Phocas* e *Thracia* oriundus obscuro genere, corpore & animo turpissimus fuit, atque per octo annos non tam Imperium gubernavit, quam tyrannidem exercuit. In primis, *Narsetem* *Romani* exercitus Ducem, alias rebellem, iteratis juramentis, dataque fide per *Domentziolum* nepotem suum de securitate perfidiose revocatum, vivum exuri præcepit, sicque *Romanum* Imperium privavit Duce, post hominum memoriam maximo, cujus nomen adeo Persis formidandum erat, ut, eo prolato, pueris suis timorem incutere solerent. Dein, impotenti furori suo *Phocas* laxavit habenas, multos Principes & nobiliores cives e medio sustulit, in amicos *Mauricii* Imperatoris crudeliter carnificinam exercuit, & necdum humano cruore satiatus *Constantinam* *Augustam* *Mauricii* uxorem, ac tres ejus filias capitibus truncari mandavit, sævitque promiscue in totam familiam *Mauricii*, eamque penitus internecone delevit. Hunc scelestum Impera-

peratorem, seu potius Tyrannum in omnes libidines effusum *Chosroes* Persarum Rex eadem Mauricii ulturus bello appetiit, & Mesopotamiam, Syriam, Palaestinam, Pheniciam, Galatiam, & Paphlagoniam depopulatus est, multoque Romanorum sanguine vindicavit *Mauricium* a Romanis Tyranno Phocæ proditum, vel flagitiose desertum. Denique anno DCX. facta conjuratione contra hunc Tyrannum, *Heraclius* acclamatus est Imperator, a quo in certamine profligatus *Phocas* in Regiam sese recepit, quo *Probus* Patricius, & *Photius*, quem *Cedrenus* *Photinum* appellat, cujus uxorem Tyrannus ille vi constupraverat, cominus cum valida militum manu eum insecuti ex Palatio raptum ad *Heraclium* adduxerunt, cujus jussu dextra Phocæ ab humero præcisâ & capite amputato, manus ipsius cupidâ imposita, a Foro per mediam Urbem traducta est, caput autem conto præfixum, eodem quoque modo circumlatum est, truncus vero corporis per ventrem raptus ad Chalcam Hippodromi deportatus in Foro Bovis a militibus combustus est, sicut refert *Author Chronici Alexandrini*. Egregiam in hac contra *Phocam* conjuratione operam *Heraclio* navavit *Priscus* gener Phocæ, & hac de causa ab *Heraclio* semel Imperio potito factus Cappadociæ Præfectus; sed cum res novas moliretur, ejusdem *Heraclii* Imperatoris jussu interfestus est, poenæque multæ sua proditiōe digna. Sub *Phoca* Imperatore Templum, quod Romæ appellatur *Pantheon*, in Ecclesiam Sanctæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum Martyrum conversum fuit, & consecratum a Bonifacio IV. Summo Pontifice, qui illud a *Phoca* petiit, & obtinuit, teste *Anastasio* Bibliothecario. Visturiam Romæ istud Templum, diciturque *Sancta Maria Rotunda* ob ædificii formam.

D. Fuitne *Heraclius* optimus Imperator?

M. *Heraclius* inter bonos Imperatores haud dubie esset annumerandus, si grassanti Monothelitarum Hæresi non favisset, eique proposito publice Edicto, sive, ut dicunt, *Ethesi*, vires roborque non addidisset. Imperio assumpto, ut scribit *Theophanes*, rem omnem Romanam labefactam reperit *Heraclius*. Europam enim Barbari reddiderant desertam, universam Asiam Persæ pessum dederant, & Urbes integras in captivitatem abduxerant, Romanumque exercitum bellis consumpserant continuis. Sed, quod magis dolendum, & æternis lachrymis prosequendum, ut verbis utar *Auctoris Chronici Alexandrini*, anno quinto Imperii *Heraclii*, seu Æræ Christianæ DCXIV. præter bene multas Orientis Civitates, Hierosolyma a Persis vi subacta, captaque est multis millibus in ea Clericis, Monachis, & sacris Virginibus occisis. Præterea, incensum est Dominicum Sepulchrum, nobilissima Dei Tempa, & pretiosa omnia eversa; veneranda Crucis ligna una cum suis vasibus, quorum innumerus erat numerus, a Persis ablata sunt: Ipseque *Zacharias* Patriarcha in captivitatem abductus. Anno autem septimo Imperii *Heraclii*, seu Æræ Christianæ DCXVI. Persæ Ægyptum, Alexandriam, & Lybiam ad fines ul-

que Æthiopiæ suam in potestatem redegerunt. Chalcedonem quidem occupare haud potuerunt, sed præsidio ad eam obsidendam relicto secesserunt, quam tamen eodem anno ceperunt. Tam adversam fortunam expertus Imperator *Heraclius*, totque calamitatibus percussus, supplex a *Chosroes* Persarum Rege pacem petiit, quam cum impetrare nullo pacto potuisset, sese ad bellum accinxit, in solo Deo totius spei ac fiduciæ suæ sacram, ut ajunt, anchoram figens. Sed cum pecuniæ inopia laboraret, argentum & aurum ex magna Ecclesia, & ex aliis sacris Ædibus mutuatus nummos inde cudit, collectumque ex Provinciis populum militari disciplina exercuit, & in Asiam duxit, ubi per sexennium cum ducibus *Chosrois* divino fretus præsidio feliciter pugnavit, & tandem anno DCXXVII. in Persidem irrumpens in fugam verit *Chosroem* Persarum Regem, qui *Mardasem* juniorem filium sibi successorem destinavit. Quod ægre admodum ferens *Siroes* ejus filius primogenitus in Patrem actutum arma movit, qui captus, gravibusque onustus catenis conjectus est in carcerem. *Mardases*, quem nuper *Chosroes* Regem coronare decreverat, & reliqui ejus liberi sub illius conspectu e medio sublatis sunt, quin & ipsemet *Chosroes* jussu *Sirois* filii sui primogeniti sagittis confossus periit. Tum *Siroes* Patris sui necem per litteras Imperatori *Heraclio* nunciavit, detentos custodiis Christianos cum Patriarcha *Zacharia*, & vivifico sacre Crucis ligno restituit, sicque pax Romanis inter & Persas sancita est, sacrum Crucis Domini lignum ab *Heraclio* Imperatore primum Constantinopolim, deinde Hierosolymam delatum est, indeque institutus sollemnis in Ecclesia dies festus Exaltationis sanctæ Crucis, de quo legendus est *Florentinus* in notis ad diem XIV. mensis Septembris in Martyrologio Hieronymiano. Mortuus est *Heraclius* Imperator ex aqua intercute anno ætatis suæ sexagesimo sexto, æræ Christianæ sexcentesimo quadragesimo primo, cum annos triginta, menses quatuor & dies sex imperasset. De *Ethesi*, seu de formula fidei, quæ sub *Heraclii* nomine fuit promulgata, commodius differemus in Colloquio tertio, ubi de Monothelitarum Hæresi agemus.

D. Quis in Imperio successit *Heraclio*?

M. *Heraclio* Imperatori anno DCXLI. successit jam designatus Augustus *Constantinus* ejus filius, qui postquam menses quatuor imperasset, insurgente *Pyrrho* Patriarcha Constantinopolitano Hæretico Monothelita, e vivis sublatus est, veneno ei propinato a noverca *Martina* Augusta, cujus filius *Heraclius* junior, seu *Heraclionas* creatus est Imperator, qui tamen post sex menses a Senatu exautoratus in exilium una cum matre relegatus est, cum hæc linguam, iste nasum perdidisset. Eo amoto, factus est Imperator *Constans* Constantinus, & *Gregoriæ* filius, qui fuit pessimus Imperator, & Catholicæ Fidei defensorum acerrimus infestator, nihilque non molitus est, ut Monothelitarum Hæresis undique vulgaretur. Hunc *Paulus* Patriarcha Constantinopolitanus Hæreticus Monothelita nactus sceleris socium, *Typum* ex-

posuit, & *Constantis* Imperatoris nomine promulgavit, quemadmodum *Sergius* sub nomine *Heraclii* Imperatoris *Ethesi* ediderat. Erat autem *Typus* Edictum quoddam, quo sub specioso prætextu conciliandi Ecclesiarum pacem, silentium indicabatur de una, aut duabus in Christo voluntatibus, & operationibus. At hoc silentium, ut ostendam in Colloquio tertio, erat hæreticum, & in Ecclesiæ Catholicæ veram Religionem profertis perniciem comparatum. *Vasques* Societatis Jesu Theologus, hallucinatus est, dum *Typum* Constantis Imperatoris putavit esse hominem Hæreticum Monothelitam (a). Non solum hoc Edicto, quod *Typus* dicitur, *Constans* Imperator de Fide Catholica male meritus est, sed etiam per omnem crudelitatem, libidinem & avaritiam sese exercuit, in quorum ultionem scelerum, ita permittente Deo, a Saracenis in Oriente, & a *Grimoaldo* Longobardorum Rege bello laceffitus haud prospere cum illis pugnavit. Fratrem suum *Theodosium*, quem Diaconum inaugurari jusserat, crudeliter occidit, cujus tamen morte adeo territus est, ut ab eo tempore visus sit sibi eum videre in habitu Diaconi poculum offerre his verbis: *bibe Frater*. Quare furis agitatus, in Siciliam navigavit, & relicta Constantinopoli, *Syracusas* elegit Imperii Sedem, cumque huc evocasset uxorem ac liberos, eos Constantinopolitani dimittere noluerunt. Mutatione tamen loci somnium haud mutavit miser, sed instar *Caini* ad recordationem sui fratricidii exhorrescens, anno tandem sexcentesimo sexagesimo octavo, Imperii vicefimo septimo, *Syracusas* cæsus est in balneo, situla ipsius capiti a quodam *Andrea* graviter impacta, *Auctore Mizizio* Armeno. *Constantis* Imperatoris mortem ubi rescivit *Constantinus* Constantis filius, dictus a promissa, quam gestabat, barba *Pogonatus*, in Siciliam cum ingenti Classe venit, & *Mizizium* Tyrannum una cum Patris *Constantis* interfectoribus neci tradidit. Anno itaque sexcentesimo sexagesimo octavo *Constantinus* dictus *Pogonatus*, mortuo patre *Constante*, Imperio, quod nonnullis jam antea annis, absente patre Constantinopoli administrare ceperat, solus potitus est, collegasque habuit fratres suos *Tiberium* & *Heraclium*, quos tamen anno decimo quarto Imperii sui in suspicionem rerum novandarum adductos ab Imperio amovit, solusque cum *Justiniano* filio imperavit. A Saracenis validissima classe instructis per septennium fere Constantinopoli obsessus est Imperator *Constantinus* *Pogonatus*, sed tandem ope Dei-paræ Virginis, Urbe Constantinopolitana liberata, Saracenos egregie repulit, & quidquid eorum superfuit, oborta repente procella omnino pene delevit. Verum a *Bulgaris* de *Sarmatiæ* finibus egressis magna clade disiectus pacem cum eis inire coactus est, pactam annuatim pecuniam eis persolvendo, *Mysiam*que incolendam concedendo, quam e suo nomine *Bulgariam* appellavere. Sub *Constantino* *Pogonato*, & *Agathone* Romano Pontifice celebrata fuit contra

Græves. Hist. Tom. III.

Monothelitas sexta Synodus generalis anno sexcentesimo octogesimo, Imperii Constantiniani Pogonati anno duodecimo. Sed de hac Synodo generali in Colloquio quarto copiose differemus. Obiit *Constantinus* *Pogonatus* anno DCXXXV. Imperii sui decimo septimo, ut habent *Theophanes*, *Zonaras*, & *Nicephorus* in Historia.

(a) „ Ne admireris, quæso te, lector, hominis stupiditatem; non enim singularis est, cum ad offendiculum huic perfimile viri etiam eruditi impeerint. P. *Jacobus* a *S. Carolo* in sua Bibliotheca Pontificia ex articulo fœderis Smalchaldici hominem fecit Lutheranium, quem sic appellat: *Articulus Smalchaldicus Lutheranus*, &c. *Carolus* *Molinæus* in suis notis ad decretum *Ivonis* nomine *reguæ Dei*, quam *Ivo* more ætatis suæ *treecam* appellat, designari credit locum aliquem, oppidum, seu quid simile. Mortuo *Constantino* *Pogonato* *Justinianus* II. Constantiniani Pogonati & *Anastasiæ* filius Patri successit anno DCXXXV. ætatis suæ decimo sexto. Fuit Princeps crudelis & imprudentissimus; quippe qui omnia, quæ a parente suo de pace ac reliqua Reipublicæ ordinatione constituta fuerant, pervertit, totumque Imperium in maximum discrimen adduxit. Refert *Theophanes*, quod ejus Imperii initio *Abimelech* Saracenum Califa ad *Justinianum* pacis ergo Legatos misit, quam his conditionibus pepigit, ut Imperator comprimeret agmen *Mardaitarum*, qui erant *Libani* incolæ; *Abimelech* vero in singulos dies mille nummos aureos, equum, & ferum Imperatori penderet, atque uterque Princeps justa & æquali portione *Cyprum*, *Armeniam*, & *Iberiam* vectigalia inter sese dividerent. Hanc pacem valde Romanæ Reipublicæ probrosam ac perniciosam fuisse convenit inter omnes Historicos *Bizantinos*. *Justinianus* siquidem Imperator *Mardaitas*, qui a *Maronitis* non sunt diversi, ad duodecim millia e loco priori tollens, Romanam potentiam elevavit ac mutilavit, æneum murum, ut inquit *Cedrenus*, destruxit, Urbemque munimentis infirmas & habitatoribus his in partibus vacuas reliquit. Ad hæc, *Justinianus* Imperator totis tribus annis *Leontium* quemdam Patricium, qui Orientalibus copiis præfuerat, in custodia detinuit, eumque postea dimissum Græcis præposuit. At *Leontius* injuriæ memor & *Justiniani* Imperatoris in Civem Constantinopolitanos sævientis crudelitate permotus, Imperium invasit anno sexcentesimo nonagesimo sexto, *Justinianum*, qui annum Imperii sui decimum complebat, naso mutilatum in *Chersonesam* Urbem relegavit, indeque *Justinianus*, quod naso truncatus esset, cognominatus est *Rhinometus*. Exulante itaque *Justiniano*, Imperium arripuit *Leontius*, classemque misit in Saracenos Africanos devastantes. Sed milites re parum feliciter gesta, cum sibi a *Leontio* pertimerent, Imperatorem salutarunt *Aspimarum*, a quo *Leontius* captus in *Dalmatiam* truncato naso ablegatus est, anno Impe-

A 3

rii